



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



per nutare cœpero: Dæmones enim tum præcipuè exultant, si vincant virum aliquem perfectum. *Ego autem* &c. est nova ratio, cur deceat eum juvari à Deo in tentatione, quia scilicet, fretus misericordiâ Dei, & non suis viribus tentatori resistit.

✠. 6. *Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.*

Ultima ratio, quâ Deum ad subveniendum flectere conatur: liberatus à tentatione, gratus beneficium celebrabo, exultando, cantando, psallendo, *h. e.* corde, ore, opere: ad cor pertinet exultatio, ad os cantus; ad opus pulsatio citharæ.

PSALMUS XIII.

Titulus: *In finem, Psalmus David. Vide Ps. IV.*

Argumentum est deploratio naturæ humanæ corruptæ, qualis præcipuè cernitur in infidelibus, in quibus mundum cæpit sanari per gratiam.

✠. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Non



Homines mente corrupti ad tantam cæcitatem perveniunt, ut cogitent, nullum esse Deum, qui res humanas curet, & cui rationem reddere teneatur.

✧ 2. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Non solum mens, sed etiam voluntas corrupta est, & propter studia, seu desideria abominabilia & ipsi abominabiles sunt. *Non est qui faciat* &c.: fide, & gratiâ destituti, solis viribus corruptæ naturæ utentes, nunquam faciunt bonum *perfectè, & absolutè*; nec idcirco semper peccant, ut si ex humanâ inclinatione miserentur pauperum. &c. Unde Hæretici hoc loco abutuntur ad probandum, omnia opera hominis peccatoris, sive non renati esse peccata.

✧ 3. *Dominus de Cælo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.*

✧ 4. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Cor-



Corruptionem mentis eorum, & voluntatis David cognovit ex revelatione Divinâ. Describit more humano, Deum quasi respexisse de Cælo, h. e. de sublimi speculâ, an esset aliquis *intelligens*, non corruptus quoad mentem; aut *requirens Deum*, non corruptus quoad voluntatem, qui proinde intelligeret, & amaret Deum, summum bonum. *Omnes declinarunt* à lumine sapientiæ, & à semitis justitiæ, *inutiles* Deo, quem non colunt, nec ei serviunt, grati pro beneficiis.

✠ 5. *Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labiis eorum.*

✠ 6. *Quoniam os maledictione, & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*

✠ 7. *Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum.*

Hi tres versiculi nec sunt in Hæbræo, nec apud Septuaginta; sed quia S. Paulus Rom. 3. ex diversis scripturæ locis hos omnes versiculos simul citavit, posteaquam



quam allegaverat duos versiculos proxime explicatos, arbitrati sunt aliqui veterum, eos ad hunc Psalmum pertinere.

Significatur hic, impios verbis, & opere nocere proximis suis. *Sepulchrum &c.* sicut ex aperto sepulchro exhalat fœtor cadaverum: ita ex ore istorum prodeunt verba turpia, testantia corruptionem cordis. *Venenum aspidum &c.* non solum turpia, & dolosa, sed etiam venenata, & ad malum provocantia verba effundunt. *Quorum os &c.* qui maledicunt, & amaris contentionibus jurgantur, veloces sunt ad lædendum, & occidendum. *Contritio, & infelicitas &c.* omnia eorum studia ad conterendum, vastandum, calamitate afficiendum spectant, quia pacis viam, seu studia pacifica omnino ignorant. Atque horum omnium malorum fons est, quia timorem Dei planè abjecerunt, dicentes in corde suo: *Non est Deus.*

Ps. 8. *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, sicut escam panis?*

Nonne impii tandem aliquando aperient oculos, & incipient me cognoscere?



re ut *Plebem meam*, justos. Sicut panis
quotidie comeditur, & semper sapit: ita
impii cum gaudio versant pios, & nun-
quam satiantur.

✧. 9. *Domini non invocaverunt,*
illic trepidaverunt timore, ubi non
erat timor.

Ideo faciunt tanta mala, quia spem
suam non in Deo vero posuerunt, nec
eum solum timuerunt. Timebant, ne
incurrerent mala temporalia, & similia
bona amitterent, quæ non sunt materia
justi timoris, utpote parva, & caduca.

✧. 10. *Quoniam Dominus in gene-*
ratione justa est: consilium inopis
confudistis, quoniam Dominus spes
ejus est.

Ratio prioris: sicut impii Deum non
invocaverunt, nec in illo speraverunt:
ita Deus eos deseruit, & in generatione
justorum manet: deserti autem à Deo,
à verâ luce, in tenebris ambulant, &
ideo timent, ubi non est causa timendi.
Dein alloquitur impios: *inopis*, qui to-
tus à Deo pender, *consilium confudistis*,
irrisistis, & quidem ideo, quia ille pau-

F

per



per in Deo spem posuit. Videtur enim stultum consilium hominibus huius Mundi, sperare in Deo, qui non videtur, & non sperare in divitiis, & aliis rebus, quæ videntur.

✽. II. *Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum auerterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, & letabitur Israel.*

Orat jam Deum pro celeri adventu Salvatoris, qui liberet genus humanum à captivitate Diabolicâ, in quâ erant omnes illi excæcati, quorum tenebras, & malitiam descripsit. Utinam citò veniat de stirpe David Salvator Israelis! Si hic Mundum liberaverit à captivitate Dæmonis, tunc verè, & perfectè exultabit, & letabitur populus Dei, qui spiritualiter dicitur Jacob & Israel.

PSALMUS XIV.

Titulus: *In finem, Psalmus David.*

Argumentum est *scientia salutis, & via ad vitam eternam.*

✽. I. *Domine quis habitabit in taber-*